



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta theologia moralis

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

II. Quæ sit materia Confessionis sufficiens quidem, sed libera?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004

literas miseris peccata tua confessario, qui ea legerit, & postea in praesentia addas, *Me accuso de peccatis, quae tibi scripsi*, valet, & licet; quia moraliter repetis confessionem in praesentia; & a fortiori valet, si praesens das scriptum legendum confessario, addens postea, *De his me accuso*; modo id fiat ex rationabili causa: Lugo, Arriag. Pal. Gob. & alii.

XII. *Lacrymabilis*. Hoc est, ut dolor cordis fiat sensibilis, & aliquo pacto manifestus Confessario, quod sufficienter habetur per tumorem pectoris, aliudve signum externum, vel per ipsam humilem confessionem peccati.

XIII. *Accelerata*, Seu non diu dilata post commissum peccatum, quod tamen est consilii, non praeepti.

XIV. *Fortis*, Vincens nempe omnem repugnantiam; quae sui victoria est quid intrinsecum tali Sacramento, ideoque nemo excusatur a manifestanda sua turpitudine confessario. Obtinetur autem haec victoria recogitatione futurae quietis conscientiae, salutis animae, &c. juxta illud Tertul. *Pereat pudor, ne pereat anima*: item sigilli inviolabilis Confessarii, & quod is multa tuis sceleriora frequenter audit, & quod te magis diligat in Domino, & apud se gaudeat de tua victoria, &c.

XV. *Accusans*, Ita ut non se excuset, quasi non sit in culpa eorum, quae fecit.

XVI. *Parere parata*, Confessario imponenti poenitentiam, remedia, aliasque obligationes, de quibus infra.

Infers ex dictis, aliquas harum conditionum esse ad melius esse, ut ait D. Thomas. *In Suppl.* qu. 9. a. 4. alias esse necessarias, praesertim, quod sit Fidelis, Integra, Sacramentalis, & Sensibilis Confessario, ut fufius dicetur infra.

C A P U T II.

Quae sit materia Confessionis sufficiens quidem, sed libera?

I. CERTUM ex Trid. *sess.* 24. *c.* 4. materiam sufficientem confessionis esse sola peccata fidelium; ideoque nec censurae sunt materia absolutionis Sacramentalis, quamvis huic praemitti debeat earum absolutio, juxta dicenda d. 2. nec sunt imperfectiones morales, utpote, quae, per se loquendo, non sunt contra pra-

præcepta, sed contra aliquod consilium, quod eas nec præcipit, nec prohibet, juxta infra dicenda; nec sunt peccata; quia hoc Sacramentum est remissionis, cujus non est capax, quod revera non fuit peccatum. Hinc communiter rejicitur Albert. Magn. qui, ut probaret, B. V. recepisse gratiam hujus Sacramenti, solitam fuisse asserere confiteri B. Joanni peccata, quæ apprehendebat se fecisse; cum & hic error esset indignus B. V. nec per illum posset gratiam Sacramenti recipere.

II. Certum est ex eodem Trid. *can. 5.* venialia esse materiam quidem sufficientem hujus Sacramenti, etiam si sola, vel etiam unum eorum in confessione exponatur; imo, etiam si illud sit subreptitium, hoc est cum semiplena advertentia factum, quales alibi diximus esse motus secundo primos; quia jam participant rationem peccati, adeoque remissibilitatis. Sed ex eodem Trid. *c. 5.* est etiam certum, nullum esse præceptum confitendi venialia, ideoque esse materiam liberam; ita ut, si aliqua eorum, sive etiam omnia scienter omittantur in confessione, adhuc licita, & valida sit expositorum absolutio: modo veniale scienter omissum non habeat adnexam excomm. min.

Infero Primo, Licitam esse confessionem venialium in specie, nullum exprimendo numerum, ut si dicas, *Accuso me de mendaciis*: Doctores communiter; & sic ex vi absolutionis probabiliter remittuntur omnia mendacia, ad quæ se extendit dolor: Arr. Dicast. Dian. & alii contra Lug. & alios dicentes, tot solum remitti, quot censetur potuisse Confessarius percipere ex vi confessionis, & circumstantiarum; unde in praxi tutius esset addere aliquem numerum, si occurrat: Croix n. 623. At accusare se de venialibus in genere dicendo, v. g. *Accuso me de multis venialibus*, nihil aliud exprimendo, probabiliter non videtur licere extra casum necessitatis: tum quia est contra praxim Ecclesiæ, tum quia hoc Sacramentum est institutum per modum accusationis, & judicii, quod per se loquendo fieri debet circa materiam saltem in specie certam, & determinatam; Suar. d. 23. s. 1. num. 10. Bonac. & alii contra Dicast. & alios. Valide tamen absolveretur, si adesset debita dispositio: Doctores communiter apud Bosco num. 114. Dubium tamen est, quæ, & quot venialia tunc remitterentur vi absolutionis? Dicast. ait, omnia. Lug. putat

tat ea tantum, quæ Confessarius potuisset in specie percipere, five ex verbis, five ex modo confitendi, five ex aliis circumstantiis; quia illa sola fierent ex vi confessionis sufficienter cognita.

Infers secundo, quamvis imperfectiones morales per se loquendo non sint peccata, tamen licitum, & laudabile etiam esse eas confiteri: Suar. Lug. Dicast. & alii communiter contra Jo. Sanch. singulariter putantem, minus utile esse eas confiteri Sacramentaliter, & reprehendendos Confessarios eas audientes. Ratio communis sententiæ est, quia, quamvis de se non sint materia confessionis tamen ordinarie habent adjunctum veniale, quod est materia sufficiens; ideoque communis præsertim Virorum Sanctorum praxis est de iis se acculare: puta se non paruisse inspirationibus Divinis, attendisse propriis commodis, non retulisse omnes suas actiones ad Deum, non egisse gratias post cibum, non observasse Regulas, &c. Imo Suar. generatim negat, transgressionem Regulæ esse sine aliquo veniali, ob difformationem membri cum toto; ideoque posse Confessarium absolvere nihil aliud confitentes, quam transgressionem voluntariam unius, aut plurium Regularum. Addit tamen Gob. t. 7. num. 513. pro majori securitate addendum aliquod peccatum saltem præteritum. Et non permittendum, ut quis texat longum catalogum talium imperfectionum, cum sit modus in rebus, & habenda sit ratio aliorum pœnitentium, & temporis alia in re melius impendendi.

III. Certum est, Peccata etiam mortalia alias rite, ac directe absoluta, esse materiam sufficientem præsentis confessionis, etsi ea sola dicantur; cum possit pœnitens de iisdem pluries, & à pluribus absolvi, juxta dicenda d. 2. exponi tamen debent cum novo dolore, ut habeatur nova materia proxima cum nova forma absolutionis, juxta ibidem dicenda. Cum autem, per se loquendo, nemo teneatur bis confiteri mortalia semel jam directe absoluta, sequitur, ut ea sint etiam materia libera novæ confessionis, etiamsi hæc instituaturs generalis: per accidens autem possunt evadere materia necessaria præsentis confessionis, juxta dicenda cap. sequ.